duo ex mente Cl. Casmanni, posterique ex mente
veritatis discutiendam. Quod si praestiteris, hoc mi-
hi feceris gratificatus, dabo operam, ut officii te
non poeniteat. LAGORESIS quod attinet (: quod
bene faustè, sit et utile multis:) Magister,
(tenuiter non antea:) obtulit tuas: ultrò
tamen ardebat animus mihi cum viro Doctiss.
publicè conferendi, sed thesium particeps
fieri non potui, aliàs per Deum, quod petis
praestitissem. Nova hic me sine, narrabit
M. Lago. Salutant te omnes, quibus dixi (:di-
xi verò multis:) te ad me scripsisse. Scriptum
22. Decembris Ao 1600 Marpurgi.

T. cupientiss.

M. David Warius
Francob.

8) Rev:do Philippo Beuthero, Illustr. Principi Bipontino
à Concionibus D. Pareus Salutem.

Accepi tuas 26. Martij datas, vir reverende et clarissime,
Frater honorande. Priores tamen, quarum videris men-
tionem facere, non vidi, ac gratias tibi ago pro em-
blematis, majores acturus, si aliquando iconas ipsas videro.
Boissardum jam ante annos 29. familiariter novi pictorem
insignem et antiquitatis juxta studiosum cultorem. Laudan-
da sanè Principis Illustr. vestri egregia in rem litera-
riam voluntas ac liberalitas, etsi de libro vel opere, quod
paratur isthic, non judico. Agendam Argentinensem
non vidi; audio tamen narrationem in ea extare ad
corrumpendam historiae gestae veritatem, et deforman-
das Ecclesias nostras admodum comparatam. Habuit
eadem occasionem libro Badensi sive Stafortensi, ut ex
praefatione notum est. Eum publicè nullus dum est aggressus.
Clam verò à quodam Secretario Studgardiano nuper
Durlacum Diacono cuidam Luthrano missum fuit
scriptum

scriptum scepticum planè et calumniosum, cujus authorem ex stilo visus mihi agnoscere Heilbrunnerum. Recens aliud D. Marchioni à fratre missum est, tolerabilius quidem, sed elumbe satis. Utrumque, quod tibi in aurem, D. Marchio ad me misit examinandum, nec possum ejus Celsitudini negare operam meam, destituitur enim idoneis Theologis: et frustra jam pridem consulo, ut de avertendis duobus tandem cogitetur: si fieri debeat aliqua doctrinæ et rituum repurgatio. Sed τὸ κατέχον non obscurè vides. Quod jussu Illustrissi. Vestri narrationes Argentinensium in examen vocasti, de posteritate cumprimis te optimè mereri, quis dubitet? cum magni intersit, eam aliquam veram historiam Ecclesiæ horum temporum legere et fraudes adversariorum intelligere. Editionem alteram secundæ captivitatis Babylonicæ vellem non maturari, nisi re prius cum authore D. Tossano communicata, qui haud dubiè ipse mutatis mutandis huic tempori eam accommodaret. Cæterum examen tuum quod attinet, vellem potius isthic edi. Nostri enim non credis quam in hoc genere sint judiciosi et morosi. Annus ibit, antequam censura fiet, si tamen ad censuram accipietur. Nobis nihil licet ἀνταπολογεῖν, quod me etiam in Anti-Pareo retexendo hactenus monitum. Sed faciendum tamen periculum. Ego inde à professione publica suscepta Senatus Ecclesiastici negotiis me totum abdicavi; itaque parum potero. Si tamen quid potero, pro virili rem promovebo. Res per typographum urgenda est. Meminit D. Pezelius, quanta difficultate editionem consiliorum Philippicorum impetraverit. In tantas difficultates et angustias nos adducit prudentia politica. Sed satis. Saluta Amicos, Vale Heidelbergæ 9. Aprilis 1600.